GREGORIUS

AD PERPETUAM REI MEMORIAM. Illius qui pro dominici gregis redemptione in ara crucis immolari non abnuit, vices quamuis immeriti gerentes in terris, curis urgemur assiduis, et continua meditatione pulsamur, ut pia Christifidelium uota, praesertim ipsorum Christifidelium salutem concernentia optatum consequantur effectum, ipsosq; Christifideles quibusdam spiritualibus, et allectiuis muneribus prosequamur, ut exinde reddantur diuinae gratiae aptiores, ac deuotio indies per[illegible] augeatur in eis. Exponi si quidem nobis nuper fecerunt dilecti filij Confratres Confraternitatis utriusq; sexus Christifidelium in Ecclesia Sancti Simplicianini ~~[illegible] inuocatione eiusdem~~ S[ti] Simplicianini Porta Orientalis Mediolani instituta, quod dudum felicis recordationis Pius Papa Quintus praedecessor noster Motu proprio statuit, et ordinauit, quod deinceps perpetuis futuris temporibus in Ciuitatibus, oppidis, et locis totius Orbis Christiani, in quibus forent Ecclesiae ordinis fr[atru]m praedicatorum ibi tantum, uel in huiusmodi Ciuitatibus, oppidis, et locis, et in dictis Ecclesijs fr[atru]m praedicatorum dumtaxat Societas nominis Dei, seu iuramentorum institueretur, in Ciuitatibus uero Oppidis, aut locis, in quibus non foret dicti ordinis domus, aut in finitimis Ecclesijs institui non posset absq; licentia Prioris prouincialis, seu Conuentualis dicti ordinis, in cuius districtu sita foret Ecclesia, in qua dicta Societas esset, uel foret erigenda, prout in literis apostolicis desuper confectis, et die uigesima mensis Junij millesimi quingentesimi septuagesimi primi Pontificatus sui anno Sexto emanatis plenius continetur. Et deinde nonnulli Christifideles pia intentione d[uc]ti ad fidei Catholicae exaltationem ipsam Confraternitatem in Ecclesia praedicta sub inuocatione Sancti Simplicianini per dilectum filium nostrum Carolum Tituli Sanctae Praxedis presbyterum Cardinalem Mediolanen[sis] Ecclesiae Praesulem sufficienti ad id facultate suffultum institui curarunt, in qua plerique frequentes ad suscepta charitatis, et pietatis opera exercenda describi uoluerunt, et ex qua non mediocres fructus hactenus profecti sunt, et Deo auctore, et adiutore, a quo bona cuncta procedunt, indies proferuntur. Et si dicta Confraternitas sub inuocatione nominis Dei priori relicta erigeretur, et institueretur, multo plures Christifideles praedictam Confraternitatem ingrederentur, et pijs operibus exercendis frequentius intenderent. Quare pro parte eorundem Confratrum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eis in praemissis opportune prouidere de benignitate ap[osto]lica dignaremur. Nos igitur eosdem Confratres a quibusuis excommunicationis, suspensionis, et inter[dicti] [illegible] absoluentes, et absolutos fore censentes, ac tenorem literarum praedictarum pro plene, et sufficienter expresso habentes, huiusmodi supplicationibus [illegible] dumtaxat consequ[enda inuoca]tionem Sancti Simplicianini in dicta Confraternitate apostolica auctoritate tenore praesentium supprimimus, et extinguimus, ipsamq; Confraternitatem sub dicta inuocatione inclinati, inuoca[tione] in eadem Ecclesia Sancti Simplicianini auctoritate, et tenore praemissis instituimus, et erigimus, nec non praedictis, ac pro tempore existentibus ipsius Confraternitatis Con[fratribus, ut o]mnibus, et singulis gratijs, priuilegijs, indultis, immunitatibus, concessionibus, [ho]noribus, indulgentijs, et peccatorum remissionibus, quibus alij Confratres Confraternitatum [sub inu]ocatione nominis Dei in Ecclesijs ordinis fr[atru]m praedicatorum institutarum utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere poterunt quomodolibet in futurum uti, potiri, et gaudere possint, et ualeant concedimus, et indulgemus. Sicq; per quoscunq; Judices, Commissarios quauis auctoritate fungentes, sublata eis, et eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate iudicari, ac diffiniri debere, nec non irritum, et inane decernimus, si secus super his a quoquam quauis auctoritate scienter, uel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilectis filijs Archipresbytero Mediolanen[sis], et Praeposito S[anc]ti Nazarij Mediolanen[sis] Ecclesiarum, et Vicario Venerabilis fr[atr]is Archiep[iscop]i Mediolanen[sis] in spiritualibus g[e]n[er]ali per praesentes mandamus, quatenus ipsi, uel duo, aut unus eorum per se, uel alium, seu alios praesentes literas, et in eis contenta quaecunq; ubi, et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictorum Confratrum fuerint requisiti, solenniter publicantes, et illis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant auctoritate nostra Confratres praedictos p[rae]missis omnibus, et singulis iuxta praesentium continentiam, et tenorem pacifice frui, et gaudere. Non permittentes eos desuper a quoquam quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet, ac rebelles, et praemissis non parentes per sententias, censuras, et poenas Ecclesiasticas, aliaq; opportuna iuris, et facti remedia appellatione postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij saecularis. Non obstantibus statuto, et ordinatione dicti praedecessoris, in prouincialibus, et sinodalibus Concilijs editis generalibus, uel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, priuilegijs quoq; indultis, et literis apostolicis tam sub plumbo quam in forma breuis per quoscunq; Romanos Pontifices praedecessores nostros ordini fr[atru]m praedicatorum huiusmodi, etiam cum quibusuis clausulis, irritantibusq;, et alijs decretis concessis, confirmatis, et innouatis, etiam si de illis, eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, et expressa, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quauis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum tenores, ac si de uerbo ad uerbum insererentur, praesentibus pro expressis, et insertis habentes, illis al[ia]s in suo robore permansuris hac uice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisq; contrarijs quibuscunq;. Dat[um] Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die viiij. Nouembris M. D. lxxvij. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

Cae[sar] Glorierius

XIII

1577

Vidit Alex. Magistonus Can. ... Dep.ti ... ut Confraternitatem Nominis Dei erectam in Eccl.a S.ti Simplicianini P. O. M.li ...
Brevis Apostolici ... et gaudere omnibus gratijs ... ssionibus, et Indulgentijs, quibus di... post reformationem Indu...
factam a Papa Clem. VIII ... ... possunt, et gaudent ... Confraternit. sub Invocat.e Nominis Dei in Ecclesijs Ord.s ...
... ... Indulgentiarum ... publice ... aliarum Indulgentiarum nonnullis Christifidelibus concessis, ...
publicari et ... et ... contrarijs ... quomodolibet ...

Morbio 28/27

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-185317453X-11